

**A** fortè eò ascenderunt. Præterea qui non nisi sicciore cibo vescuntur, à quò vaporum copia prouenire nequit, neq; ex illis humor halituosus procreari aptus ad somni generationem (liquidem ex sicco vapore, & humore vigilias fieri ostendunt morbi biliosi) somno quoque corripuntur. Quinetiam eos, qui vehementius dolore sunt vexati, sese remittente dolore, suavis, altusq; somnus inuadit: quod nemo ex cibo rectè dicet fieri. Affert somnum etiam gaudium: quo pacto scribit Plutarchus, L. Syllam tantam uoluptatem, & lætitiã sensisse, sedatis seditionibus, repurgataq; ab intestinis bellis Italia, vt in profundum, dulcemq; somnum inciderit. Conciliant somnum cantus suaves, iucundi, numerosiq; somnum quæso ob vapores ab alimento ascendentes ad cerebrum? cum hæc extrinsecus aures afficiant, nequaquam commotis locis, vbi cibi continentur, coquanturq;e. Nonne etiam tenebræ, & nox mouent somnum? quippe cum lucem fugiant animalia quando dormire volunt: sed qua ratione quæso illa id faciunt? An quod alimentum suppeditent corpori? vel cerebro vapores? quos lux ad externas partes allucit, pellunt verò ad internos caloris fontes tenebræ. Somnum, blandæ frictiones, pedum lotiones, titillationes, contrectationes, quæ quidem humores, vaporesq; à cerebro deorsum reuellunt (vt omnes sciunt) pariunt. Idem facit lectio, & cogitatio, vt ille quoque testatur in quodam problemate. Obrepi somnus etiam ex nauigatione, gestatione, & alia quacunque agitatione, præsertim in qua vario, & inordinato motu, aut solo circulari, corpora mouentur. Sic enim pueros sopimus in cunis, vacillatione, agitationeque & saltationes quæ circulariter obeuntur, magnam habere vim ad somnum conciliandum omnes agnoscunt. Dormimus sæpè etiam quam volumus, ita iubente voluntate, vbi magna somni necessitas nequaquam urget: ac vbi ea adest, si placet, diu somnum arcemus. Inducit somnum, aquarum decurrentium per saxa, vel ex alto cadentium strepitus. Adde quòd si somnum fieri vult ex vapore, qui attollitur, dum cibus conficitur in ventriculo, & vicinis ei partibus: absoluta concoctione, atque ita cessante vaporis generatione, nequiret vtique somnus fieri. Postremo quàm naturales somni, ab his qui præter naturam sunt, differant, quòd hi in excessu quodam, illi verò in mediocritate sint positi, & propterea easdem causas habeant, solum excessu, & mediocritate discrepantes: oportet profectò, somni naturalis non vnicam esse causam: nimirum quàm plures sint, quæ somnum præter naturam afferunt. Nam illum ex cerebri vulneribus, contusionibus, obstructionibus, nec non ex accessionibus morborum, alijsq; multis rebus fieri, nouerunt medici: tanquam vnica non sit illa causa ex vapore, vel naturalis, vel morbosi somni. Vidit quidem Aristot. argumentum de labore urgere, conaturq;e illud effugere, quum scribit eos qui defatigati sunt, colliquari, colliquamentum autem uicem habere crudi alimenti, nisi frigidum sit. Verum non omnis labor, colliuationem facere in omnibus est aptus: sed ille duntaxat qui vehemens est, atque diurnus, in humidioribus corporibus: qui enim leuior est, hanc vim non habet: & sicca corpora labore exsiccantur, digerunturq;e, nequaquam verò colliquamentum, quod alicuius sit momenti, ex motu pariunt. Præterea colliuatio creditur esse grauis affectus, vt potè quæ solum ardentissimis, malignisq;e febribus tribuatur: adeò vt accidere nequeat sanis corporibus ex motu, & lassitudine: aut si ex motu colliuatio fit, ex qua somnus imitatur, quæ in febribus colliquantibus maximè non sunt somni? Quomodo illud quoque dici potest, colliquamentum habere vim crudi alimenti? Nam si vi, & diurnitate motus, & caloris gignitur, deciditq;e à membris, calidum esse oportet: qualia videmus esse, illa, quæ natant in vrinis eorum, qui colliquantibus febribus vexantur: sunt enim illa ex pingui, oleosa, & calida substantia, & ob id non cruda, sed cocta necessario erunt. Quòd si colliquamentum appellat pituitam, quæ ex labore commouetur à venis (vnde sternutationes, expuitiones, destillationes, & nonnullis apoplexiæ, ex labore contingunt) aliquid fortè dicet, docebitq;e semicrudum alimentum resultare nonnullis ex motu: verum illud calidum non erit, cuiusmodi oportere esse scribit humorem, qui somnum facit. Deinde communem non poterit omnibus causam constituere. Non enim solum pituitosi, sed etiam biliosi, melancholici, & alij aliter quomodocunque affecti, post laborem, somnos captant. Sed quo pacto colliquamentum erit materia pituitosa? quum ille libro primo de Generatione animalium, capite decimo octauo, colliquamentum definiat: quod ex incremento secernitur, per resolutionem præter naturam. Ex hoc enim patet, non fieri somnum per exercitationem: quandoquidem in bene ualentibus, quorum est exercitatio, quod præter naturam est, non fit. Verum etiam si illi concedamus, quod vult, ex labore fieri colliquamentum semicrudum, & illud quidem calidum: non tamen propterea ostendere poterit, ex eo somnum gigni: siquidem antea definiuit, somnum non esse omne impedimentum, & uinculum sensuum, sed illud duntaxat, quod euaporatio cibi committit: cibum autem intelligit, non quidem humorem qui in corpore continetur ad continuam nutritionem, nempe sanguinem in uenis contentum (sic enim fieret ex alimento continuo, perpetua euaporatio) sed qui recenter (ut ille ait) est ingestus, soletq;e quotidie assumi, & in sua loca recipi, euaporareq;e in uenas, ibiq;e mutari, ac mutatus principium adire. Ex quibus uerbis satis ostendit, de quo cibo, & alimento agat. Quod si quis tergiversari in hac re uelit (ut non dubito multos fore ex his, qui ita nati, & facti sunt, ut nunquam fieri uelint, quod ei repugnat, cui se manciparunt) certè in alijs causis nihil habebit ille, quod dicere possit, aut certè in quo quiescat animus. Mirum enim si quis inueniatur, qui sibi persuadere possit,

Ioannis Argent. de Somno &amp; Vigilia.

A 3 somnum